Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

est sine filijs. Et sequens accepit illam. et ipse est sine filijs. Et tertius accepit illam. similiter et omnes septem. et non reliquerunt semen et mortui sunt. Nouissima omnium mortua est et mulier. In resurrectione ergo cuius eorum erit uxor. Si quidem septem habuerunt eam uxorem. Et ait illis. Filij huius mundi nubunt et traduntur ad nuptias. illi uero qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis. neque nubent neque ducent uxores. Neque enim ultra mori poterunt. Equales enim angelis sunt et filij sunt dei. cum sint filij resurrectionis. Quia uero resurgent mortui. et moyses ascendit secus rubum sicut dicit dominum deum abraham et deum ysaac et deum iacob. Deus autem mortuorum non est. sed uiuorum. Omnes enim uiuunt ei. Respondentes autem quidam scribarum dixerunt. Magister bene dixisti. et amplius non audebant eum quicquam interrogare. De secta Trinitate.

Benedicta sit sancta trinitas atque indiuisa unitas confitebimur ei quia fecit nobiscum misericordiam suam. Ps. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu laudemus et superexaltemus eum in secula. Oro.

Omnipotens sempiterne deus qui dedisti famulis tuis in confessione uere fidei eternae trinitatis gloriam agnoscere. et in potentia maiestatis adorare unitatem quesumus: ut eiusdem fidei firmitate. ab omnibus semper muniamur aduersis. Per dn. n. Ad Romanos.

Fres. O altitudo diuitiarum sapientie et scientie dei. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. et inuestigabiles uie eius. Quis enim cognouit sensum domini: aut quis consiliarius eius fuit. aut quis prior dedit illi. et retribuetur ei. Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi honor et gloria in secula seculorum amen.

Benedictus es domine qui intuens abyssos et sedes super cherubim. ℣ Benedictus es in throno regni tui et laudabilis in secula.

Alla. ℣ Benedictus es domine deus pater uiuorum et laudabilis in secla.

Benedicta semper sancta sit trinitas deitas sancta et unitas coequalis gloria. Pater filius sanctus spiritus tria sunt nomina omnia eadem substancia. Deus genitor deus genitus in utrique. Sacer spiritus deitate locus. Non tres tamen dicimus esse deos sic pater deus filius spiritusque sanctus. Proprietas in personis unitas est in essencia. Maiestas par et potestas decus honor eque per omnia. Sed tota maiestas continens aula sit et uniuersa condita. Quem tremunt impia tartara colit quoque